

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0021

0019

0025

0015

0030

0010

0070

0120

0520

1020

Ende

Anfang

10

XXII. Nostra militia est justior. Nam omnes aliae militiae
habent aliquas injusticias annexas et improbitates, haec autem
divinae et humanae justitiae innititur et legibus imperialibus
et papalibus regulatur.

XXIII. Est militia nostra magis approbata et roborata.
Saepe enim contingit, quod milites in uno loco facti non
tenantur ab aliis pro militibus, sed deridentur, et milites
muliebres vel milites cattarum nuncupantur, nec adversa pars
pro militibus tenet contra se factos. Quod totum non est in
hac militia, sed omnes pro militibus tenantur.

XXIV. Nostra militia est antiquior. Semper enim a pas-
sione Christi transmeantes propter loca sacra pro militibus
habiti sunt.

XXV. Haec militia est magis desiderabilis. Quod ex hoc
patet, quia illi, qui alibi facti sunt milites, non stant contenti,
sed ultra acceptam militiam desiderant nostram. Insuper tanto
desiderio miles sancti sepulchri accenditur, quod ad locum,
ubi acceperit militiam, regredi desiderat. Communiter enim
illi, qui in terra sancta fuerunt, iterum redire vellent, etiam
nullis obstantibus periculis. Sic non de aliis.

XXVI. Est nostra militia ordinatior. Nam antiquus ritus
illius militiae fuit, quod nullus ad eam acciperetur, nisi inge-
nuus a quatuor progenitoribus et spectabilis genere esset in
tota parentela (**B**). Quamvis ritus ille non exacte servetur
jam, quia etiam ignobiles in milites percutiuntur, sicut et in
alia militia.

XXVII. Militia nostra est humilior et patientior. Alii
milites dediantr cum aliis simplicibus, qui non sunt nobiles,
habere consortium, et invident fortunae minorum se. Sed non
sic milites sancti sepulchri, qui nullum spernunt, omnes secum
patiuntur proficisci et neminem abjiciunt. Transfretant enim
in Jerusalem cum monachis, presbyteris, mercatoribus, me-
chanicis, mendicis pauperibus, imo transeunt cum mulieribus
et vetulis, cum Beginis et monialibus, nec curant fatuas oblo-
cationes derisorum, qui dicunt, militiam sancti sepulchri esse
muliebrem propter veterarum concomitantiam. De quarum
societate non solum non verecundantur, imo gaudent, et inde
quaerunt sibi laudem, quod militiam suam temporalem in tali

